

Humboldt-Universität zu Berlin

Universitätsbibliothek

1

Der Besteller erklärt, daß bei seinem Auftrag die Voraussetzungen vorliegen, unter denen die Anfertigung von Kopien nach dem Urheberrechtsgesetz (insbes. §§ 53, 54) zulässig ist.
Er stellt die Universitätsbibliothek der Humboldt-Universität zu Berlin von allen Ansprüchen Dritter frei.

Hartheimke, Philipp Konrad
Universitätsbibliothek
per litterarum Emendatae. Saecularibus Tertis in Universitate
Litterarum Berolinensi d. III. Novemb. A. MDCCCLII.
Habita. Berolini: Formis Musprianis 1817, S. 7-13

1 x

Philipp Konrad Hartheimke: 3. Novembes 1817.

II.

Sine quo, quicquid suscipimus, nihil est, te bone et aeternae Deus, nobis, qui iam saluberrimae memoriae recordationem grata mente repetimus, ut Spiritus tui gratia adsis animosque collustres, precamur humillime. Te enim omnis boni fontem quum ipsa haec res, cuius divinitate movemur, auctorem hodie celebret benignissimum, quid ab huius diei gravitate magis alienum est, quid magis procul habendum, quam divina nec sentire, nec dicere? Tuum omnino est, quod ex tanta hominum, quos saeculum tulit, multitudine nobis potissimum dedisti, huius diei, qui totius saeculi unus est, quem nemo hac luce fruendum vidit unquam aut in posterum visurus est, lucem dulcissimam conspiceret, jucunditatem persentiscere, memoriam grato corde recolere. Tibi, o bone et immortalis Deus, aeternae Patris Domini nostri Jesu Christi, tibi acceptum referre debemus, quod quae ante haec tria saecula humano generi reddidisti eximia summaque bona, eisdem adhuc fruimur laeti atque gaudemus inturbati. Recuperatam igitur ante trecentos annos dulcissimam hanc libertatem nobis et in posterum salvam et intemeratam conserva mihi quae da, ut qui ingens illud emendatae religionis beneficium in nos effusum dignis praedicare laudibus nequeam, tamen nec jejune nec exiliter de tanta re et ex tanta auditorum frequentia dicam.

Illuxit igitur, Auditores, laetus ille diique nobis exoptatus dies, in quo, sacris per aliquot dies publice peractis, hoc in litterarum domicilio frequentes confluvimus ad Ecclesiae christianae instaurationis, cui litterarum cultura haud minus debet, quam huic illa, memoriam rite religiosam concelebrandam. De qua re summa et admirabili si ceteris silentibus equidem dicere instituo, profecto non eam ob causam feci, quod studiorum genus, in quo vitam consumo, id exegerit, aut quod in dicendo mihi aliquid a vobis tribui sentiam, sed quod Rectoris hoc tempore munere fungor, amplissimique Senatus decreto sapienter constitutum est, ut ille principio verba faceret breviterque animos ad orationem theologicam Decani audiendam excitaret et quasi praepararet. Ego vero quid in tanta rerum copia tantaque temporis angustia probe proferrem et re nostra et hac illustrissimorum ac doctissimorum hominum frequentia dignum, difficile certe foret exquirere, nisi hoc ipsum injunctum mihi oratoris officium satis in se haberet excusationis, quippe quod non tam longam perfectamque orationem, quam orationis exordium requirere videtur. Quare quoniam mihi levius quoddam onus impositum est, nihil dicam reconditum aut inauditum vobis, sed ex ipsa vestra scientia de promptum, ipsius huius diei, quem vestra praesentia celebrare voluistis, celebritatem dignitatemque paucis exponens.

Quodsi quaerimus, quid tandem sit, in quo horum sacrorum saeculatum gravitas ac praestantia sit posita, et quid sit illud, de quo nos hodie et Deo gratias agere et nobis invicem congratulari debeamus, tum illorum temporum, quibus laeta cognitae veritatis lux affulsit, tum nostrae aetatis, ad quam liberatae veritatis vox personavit, naturam rite perspectam habeamus necesse est. Quis enim potest jucunditatem rei sentire aut sapienter laudare, cuius neque originem veramque rationem cognoverit neque quotidianum usum bene expertus fuerit? Ac neminem inter nos esse puto, qui non illius temporis, cuius memoriam hodie recolimus, imaginem aliquam animo formatam et infixam habeat. Video

hoc

hoc in celebri conventu esse rerum sacrarum antistes et hoc in studiorum genere bene versatos; video viros in negotiis publicis gerendis exercitatissimos; video litteratos homines cum inventute dulcissimis litterarum studiis dedita. Non dicam hodie, quale quantumque augmentum ex repurgata Ecclesia ceperit omnis rerum divinarum scientia: longum est ab hoc loco institutoque nostro paulo alienius. In eo potissimum subsistamus breviter exquirendo, quid litterae, quid res publicae resercenti divinarum rerum cognitioni debuerint.

Omnium autem litterarum historiis inde ab hoc tempore, ubi salutaris Evangelii restituti lux disciplinas permanavit, aut initium aut nova quaedam epocha constitui solet. Etenim hoc Deus abundantis gratiae suae documentum exstare voluit, suam quod Ecclesiam non sine ornamentis reliquit sed iuxta veritatem caelestem etiam bonas litteras et artes humanitatis in ea constitui ac florere jussit. Humanarum igitur omnium rerum tum demum feliciter successit cognitio, quum divinarum pura et ampla refloresceret scientia, sine qua neque humana vere humana sunt; tum demum ad veram suam dignitatem rediere litterae, quum dulcis illa rediret animorum libertas, qua suppressa aut sublata quicquid boni ac praecleari in hominum mentibus reconditum latet expediri aut in humanae vitae usum converti nullo modo potest. Vigebant profecto litterae iam ante Reformationem, sed arctioribus finibus circumscriptae, a religione separatae, ab Ecclesia rejectae, tanquam hostes metuendae et in perniciem hominum datae. Non restituae sunt ecclesiastica repurgatione litterae, sed restituta est cum vera religione litterarum quoque vera dignitas atque religio. Nam est ex Dei insituto divinum quiddam in omnibus litteris, quo quidem excusso aut incognito necessario tabescunt aut in perniciem humani generis ruunt, quo contra bene perspecto et excitato tanquam arctissimo vinculo cum religione copulantur, mentesque ad Deum efferunt. Hinc tempore restaurationis ecclesiasticae factum est, ut liberalibus litteris humanas vires humanamque

operam instauratorum adjuvantibus repurgata ac restituta religio divinas ingeniorum vires mirum quantum adjuvaret, imo divinitus excitaret. Hinc factum est, ut litterae ex longo torpore resuscitatae ac recreatae nihil antiquius, nihil sanctius haberent, quam verae religioni servire et cum christiana doctrina consentire. Nam in quocunque studiorum genere versantibus ac doctissimis quibuscunque hominibus id erat firmiter persuasum, neminem posse ad veritatem pervenire, nisi qui in Deo veritatis fontem suspiceret ac pie reverenterque coleret. O! praeclaram beatamque aeternam, ubi singulae disciplinae nondum nimium separatae atque disjunctae ex communi fonte vitam haurire divinumque cognitionis vinculum, quo invicem continentur, fovere solebant. Haec aurae divinae pericula est, quam Deus mentibus hominum informavit; haec Philosophiae, Medicinae, Jurisprudendiae lux est et anima, qua exstincta miseram vitam ducunt; haec vera animorum libertas, qua tanquam coelesti semine sparso quaecunque utilia, bona et magnifica in hominum animis excitantur et litterarum omnium uberrimi saluberrimique fructus explicantur. In eo igitur huius diei sollempnis, quem grata mente celebramus, gravitatem ac dignitatem conspicimus, hoc summum esse Dei beneficium in nos collatum ipsa haec doctissimorum hominum corona testatur, quod vera nobis reddita Christi religione fundamentum jactum larumque campum conspicimus apertum, in quo expansari omnes doctrinae, vires suas libere exercere ingenia, efflorescere denique litterae et ad summum excellentiae gradum assurgere potuerunt.

(*Quam vero litterarum esse ex restauratione Ecclesiae fructum perceptum intelligimus, Auditores, eundem etiam rerum publicarum esse inventimus. Priusquam enim vera religio restitueretur et ad vitas hominum revocaretur, mirum in modum neglecta, tristes, penitusque abjecta erat omnium civitatum sors ac populorum conditio. Testantur de illorum, qui isis se confusionibus animo punctos atque afflictos sentiebant, sinceræ confessiones, miseri plactus, desideria emendationis, querelae*

calamitatis, consilia reformationis saepius repelita. Imo fere nullae erant civitates: unius enim erat sacerdotis in omnibus terris imperium et dominatio: reges ac magistratus locum servorum tenebant: omnia ad clerici papalis utilitatem accommodata: nulla hominum huic ordini non adscriptorum dignitas iustaque aestimatio. Duplex regnabat in omnibus civitatibus summa potestas, biceps majestas, quae in rebus civilibus monstrum merito haberetur. Quae quidem omnia non ex indole christianae religionis, sed ex hominum in terrena se mergentium cupiditate nata esse, luce clarius demonstratum est ab illis summis viris, quos ex hominum multitudine Deus excitavit atque elegit ad praereptam hominibus veritatem divinam restituendam et a mortalium injuriis pie ac fortiter vindicandam. Neque hominum sapientibus consiliis, neque regum potentia, neque armorum vi, bellorumque strepitu redditum est regibus ac civitatibus summum imperium, stabilita magistratuum auctoritas, restituta denique populis libertas, sed sola religionis vi, sed invisibili veritatis auctoritate, sed Deo auctore factum est. Ipsum igitur Numen laboranti civitatum valetudini succurrit et ad necessariam omniumque bonorum votis expetitam orbis terrarum emendationem non Pontificem aut Imperatorem ac ne Principem quidem, sed virum humili loco natum, doctrina tamen, pietate, moribus gravem adhibuit, ut ostenderet, sibi ad res magnas perficiendas humana nec auctoritate nec potentia opus esse. Quod quidem illis temporibus nemini tam clare perspectum, tam firmiter erat persuasum, quam ipsis principibus ac magistratibus cum civibus: imo, quid quantumque verae religioni deberent, pietate eximia, exemplis splendidissimis, institutionibus publicis, dictis et factis innumeris comprobarunt. Praeclara sane aetatis conditio, ubi principes cum subditis, magistratus cum civibus in veneranda, tuenda, augenda et promovenda religione, ut cuiuscunque boni fonte dulcissimo acquiescunt, ubi Ecclesia in Civitate, Civitas in Ecclesia stat habitataque inviolata et necessitudinis vinculo indissolubili copulata. Quae enim esse potest recta

rerum civilium forma et bene temperata constitutio, quae publica salus atque tranquillitas, quae civium honestas, quae legum sanctitas, quae iuramenti fides, ubi nulla animorum religio, nullus cum institutionibus publicis consensus?

Sed si latius vela sermonis pandere longiusque excurrere vellem, vereor, ne nimium temporis oratio mea consumeret. Restat, ut ad Deum, a quo cuncta bona proficiscuntur, animos nostros dirigamus. Faxit Deus O. M., ut quae bona summa nobis olim hominum pietate ac fortitudine benignissime largitus est, eadem nunc et in posterum incorrupta hominum impietate ac perversitate, intacta hominum livore et malignitate, intactaque hominum inscitia et injuriis nobis conservet. Ne facem doctrinae coelestis accensam, patiatur unquam exstingui, sed lucem hanc splendidissimam foveat augeatque. Faxit, ut magnitudinem beneficii tribus abhinc saeculis in nos collocati grata mente agnoscamus omnes ac purioris christianae doctrinae tenaces simus eamque non ore modo profiteamur, sed vita quoque et moribus exprimamus digneque sancto Evangelio ambulemus. Devotissimo animi affectu Deum rogamus et ardentissimis obtestamur precibus, ut splendidum imperium clementissimi Regis ac Domini nostri, Friderici Guilelmi, quem sibi advocatum Ecclesiae magnanimum ac religiosissimum constituit, confrinet atque defendat, regnique haeredem et ingenii et animi dotibus florentissimum omni felicitatis genere cumulet et regiam Domum universam sibi commendatissimam habeat. Faxit, ut in hac Universitate ex vera animorum libertate nobis olim reddita bonae artes ac litterae crescant in dies ac vigeant semper, adolescentibus nostrae fidei commissis et in futurum committendis ardens doctrinae salutaris ac liberalioris desiderium injiciatur injectumque magis magisque confirmetur ac promoveatur: ne desint unquam tum in Ecclesia tum in Civitate viri integri ac fortes, summorum illorum hominum, quos hodie celebramus, Spiritu afflati et ad promovendum, quod inceptum est ante hos trecentos annos, opus apissimi. O! quan-

ta interea rerum discrimina effugimus, quas molestias superavimus, quantis denique tempestatibus, salva semper aeterna Christi religione, defuncti sumus! Idem profecto noster Deus est, qui tribus abhinc saeculis magnum et admirandum opus per homines pios, in se tenues ac fere nihil, in Christo magnos et eximios perfecit; idem ille Deus est, qui per tot tantaque rerum privatarum et publicarum pericula Ecclesiae suae cursum direxit ipsamque sospitem et incolorem conservavit; idem ille est, quem hodie laeto gratoque animo suspicimus, quem sancta mente et oratione compellamus, quem denique ut eodem nos auxilio eademque gratia dignetur, quam majoribus nostris comprobavit, precamur supplices. Dixi.